



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

66. De indumentis Sacris & Pallio Archiepiscopali quibus Pontifex induit S.  
Willibrordum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

## DISSERTATIO LXVI.

De indumentis Sacris & Pallio Archiepiscopali quibus Pontifex induit  
S. Willibrordum.



Leuinus hanc sacram S. Willibrordi inaugurationem describens, addit Pontificē Sacerdotalibus indumentis eum induisse, in super & pallium Archiepiscopale in templo S. Petri ei imposuisse.

Vbi nota, vt in veteri Synagoga inter sacrorum ministros erat distinctio vestium iuxta distinctionem graduum, Leuitæ Sacerdotis, Pontificis, ita quoque in Christi Ecclesia iuxta discrimen ordinis altioris & inferioris discrimen est indumentorum. Et sunt inter hæc alia omnibus communia, alia quibusdam specialia. In veteri omnibus Sacerdotibus cōmunia erant Cidaris siue mitra bissina. 2. tunica bissina Poderis dicta. 3. Zona seu baltheus 4. femoralia. Præter hæc cōmunia, Pontifici erant propria 1. Tiara cū aurea lamina inscriptum gerente Dei nomen ineffabile. 3. Hyacinthina tunica. 4. Ephod pretiosus. 5. Rationale 6. balteus seu Zona altera. Sic in Ecclesia Christiana communitas (inquit Innocentius Papa 3. lib. 1. Mysteriorum Missæ cap. 10.) & specialitas potestatum inter Episcopos & Presbyteros ipso numero communium & specialium vestium designatur. His vero supereminet pallium quod solorum sublimioris ordinis ministrorum est, vt Pontificum maximorum, Patriarcharum, Primatum, Metropolitanorum siue Archiepiscoporum



rum. Hoc nunc à Sergio Papa amicitur & decoratur S. Willibrordus in templo S. Petri, vt supra existimauimus.

Nouatores nostri à fidei magistris degeneres rident contemauntq̄ Archiepiscopale pallium, ac tanquam nouitium commentum exhibilant. Verum constantes Ecclesiæ Catholicæ filij tanto tenacius illud conseruant vt suorum maiorum vetustissimum depositum longè antè tempora Gregorij primi vsitatum, prout ex ipso Gregorio est legere qui illud eiusque elargitionem priscam consuetudinem lib. 7. Epistolarum cap. 5: antiquam regulam lib. 4. cap. 95, antiquum morem lib. eodem & alibi vocat. Apud Bedam ætati S. Willibrordi supparem. lib. 1. Histor. Anglicanæ cap. 27. *Ab antiquis inquit idem Gregorius prædecessorum meorum temporibus pallium Arelatensis Episcopus accepit.* In eadem insuper Historia Bedæ plura reperiuntur à Pontifice Romano cuius solius est elargiri, collati pallij exempla. Vnde ceremonia ista non est censenda nouitia.

Textitur parum curiose mapparum instar è lana simplici & candida à candidulis & immaculatis agniculis desumpta, ea forma vt circulo collum humerosque ambiat, duas ex se lineas antè ac retrò versus terram vix vsque ad genua demittens & tam harum quàm superioris circuli latitudo triū aut quatuor digitorum latitudinem non excedit. In extremis partibus aliquid plumbi ad pondus est innexum & cruces aliquot purpurei coloris superficiem exteriori insutas gerit.

Monentur hoc amictu Pontifices. 1. simplicitatis quæ tam in vestibus quam alijs in rebus tenenda sit. 2. candoris ac Innocentiæ; nam & color & ipsum ex quo sumptus est ille color animal sine fraude doloque significant. 3. curæ pastoralis. 4. Grauitatis quæ in Episcopali onere plusquam



quam plumbea meritò est. 5. ferendæ alijsque prædicandæ crucis. 6. summum cum summo in terris Pastore summi illius in cælis Pastoris vicario coniunctionis & vnitatis dum ab eo lanam hanc ouillam & ex ipso S. Petri cui pascebas oves commisit Dominus, altari accipiunt. Reliqua eius significata & hæc latius explicata vide apud. N. Serarium Mogunt. rerum lib. 3. notatione 26. ad vitam Bonifacij.

## DISSERTATIO LXVII.

Quomodo S. Willibrordus à Sergio sit transnominatus.

**S**ummus Pontifex Sergius inaugurans Archiapostolum nostrum nomen Clementis ei imposuit. Transappellationis huiusce occasio & ratio vulgariter datur; Quod Romæ de suo nomine interrogatus dum respondisset Wilbrod Anglico idiomate, vocabulum istud Papæ Latijque auribus durū asperumque infonaret, voluisse ut abiectà propria nominatione leniori sonantia vocaretur Clemens. Verùm hæc narratio vere est vulgaris & fere plebeia. Ab altiori principio dimanauit impositio. Cedo, cur Sergius dum anno 691. Romam veniens Willibrordus multis cum eo ageret, nomen Anglicum non mutarit? Cur potius in Episcopali benedictione, quam tunc? an tunc non crudum asperumque Latinis auribus infrederet? An tum non fuerit Willibrordus, quæsitus de nomine? Multa fuerunt Anglica nomina Romæ audita, ut Wilfrid. Wilibaldus, Winibaldus, Plechelmus, wiro, Otgerus, & nō sunt variata. imo à tēpore Gregorij primi coeperūt audiri, ut ab antiquo Græca & Galli-

ca,